



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

21. De resignatione gratia alterius, aut cum reseruatione pensionis facta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



curia Romana beneficium deponere, non obstat ius commune, quo beneficia in curia vacante Romano Pontifici referuntur, siquidem in formula Regressus dicebatur: *Etiamsi apud sedem Apostolicam vacare contigerit*. Item Regressus locum habebat, etiamsi resignatarius beneficium amittebat, vel sententia iudicis ob crimen aliquod commissum: vel factio aliquo, ut si uxorem ducebat, vel religionem profitebatur, vel consequbatur aliud beneficium, quod simul cum primo stare non poterat. In formula eam dicebatur: *seu quamvis dimissionem, vel amissionem*.

Septimo queritur, An in reservatione regressus ex causa resignationis, necessarius esset resignatarii consensus? Quidam affirmant, esse necessarium, quia in reservatione pensionis, vel fructuum debet adesse beneficiarii consensus, ergo & resignatarii in reservatione regressus. Deinde, quia reservatio regressus non est absque aliquo damno resignatarii, cum beneficium dimittere non possit: quoniam eo ipso ad priorem resignantem beneficium rediret. Accedit, quod huiusmodi resignationes erant odiosae, ergo necessarius erat resignatarii consensus. Sed verius alii negant eum fuisse necessarium: nam sine vilo resignatarii assensu talis regressus concedi solebat, nec vlla exat Cancellariae regula, eiusmodi consensum requirens: cum tamen in reservatione pensionis beneficiarii consensum, regula Cancellariae, vel iura, vel consuetudo deposcant.

Octavo queritur, Quibusnam ex causis regressus desinere, ac finiri solebat? Respondeo, in primis Quando is, cui erat regressus concessus, eo uti volebat, tunc desinebat, suo enim iure quisque cedere sponte potest. Deinde quoties idem sciens regressum locum habere, permittebat beneficium ultra triennium ab alio possideri; haec enim causa repellitur per exceptionem regulae Cancellariae, quae dicitur, de triennali possessore. Tertio, si idem coram Notario & testibus consensum praestabat, ut regressus extingueretur: nam extingui poterat etiam sine auctoritate superioris.

### C A P. XXI.

#### De resignatione gratia alterius, aut cum reservatione pensionis facta.

Primo queritur, An resignatio beneficii licite fiat alterius gratia, & favore? Sciendum est, resignationem iure communi absolute, & simpliciter fieri debere: tum quia Canones, & iura penitus cauent, ne in beneficiis sit vlla hereditariae successione species, vel imago. Cum autem quis suum beneficium dimittit ea conditione, ut Titio verbi gratia conferatur, successorem in beneficio constitutur videretur. Addunt etiam alii etiam causam: quia Canones, & iura prohibent in beneficiis omnem pactio-nem, conventionem, & conditionem: sed qui beneficium deponit his verbis: *meum beneficium resigno, ut Titio conferatur, aliter vero non resigno*: resignatio fit cum conditione adiecta, videlicet apposita clausula: *Resigno in fauorem, N. Et non aliter, nec alio modo*. Nihilominus vsu curiae Romanae introductum aliquando fuit, ut coram Romano Pontifice huiusmodi resignationes beneficiorum permitterentur: nam cum haec conditio sit solum iure Canonico interdicta, Romani Pontificis auctoritate permitti potest.

Secundo queritur, An resignatio beneficii alterius gratia, & favore contineat Simoniam Canonico iure damnatam, & an coram ordinariis locorum, licite fieri queat? Dubitari non potest, quin vsu curiae Romanae, Constitutione etiam Pii V. prohibitorum sit, quo minus quis coram ordinariis locorum suo beneficio cedat alterius gratia. Sed questio in eo consistit, An id quoque iure communi sit interdictum tanquam Simoniacum? Duae sunt opinioniones. Vna affirmantium id iure communi licitum esse: quoniam etsi Canones, & iura hereditariae successione species in beneficiis condemnant, & in resignationibus

quoque beneficiorum pactio, conuenticio, & conditiones, non continuo sequitur, ut damnetur, qui hunc in modum dimittit beneficium: *Resigno beneficium in fauorem, N. Et non aliter, nec alio modo*: quoniam haec beneficii dimissio nulla Simoniae labe inficitur, cum coram ordinario exprimat personam, cuius gratia beneficium dimittitur, & liberum est ordinatio resignationem reicere: quo approbante, non est quod resignanti detur vitio, cum superioris auctoritate beneficium dimittit: nec item ex hoc, quod gratia alterius beneficium deponit, successorem deligit: siquidem ordinarius iure potest eam resignationem penitus respicere. His accedit, quod Canones, & iura damnant conditionem in beneficiis piumata Clericorum auctoritate appositam: Sed haec apponitur coram ordinario. Sic Sotus libro 9. de iustit. questione septima, articulo secundo, conclusionem prima, Conarradus lib. 1. variar. resolut. cap. 5. num. 5. ubi in suam sententiam citat Antonium parte secunda, tit. 1. primo, cap. 5. § 11. Syluest. in verbo renunciatio, quasi. 6. & Staphileum, de literis gratia, & iustitia.

Alter opinio est, huiusmodi resignationem iure communi damnari, ut Simoniacam. Glossa in capitulo, ex parte, de offic. iud. deleg. & in capitulo, Ceteri pridem, de Patis. Abbas in capitulo, Cum vntuerforum, de rerum permutatione. Cassiodorus de decisione tertia, & 2. de Simonia, Praefat. & alii in capitulo, Ordinationes prima questione 1. Felinus in capitulo, Ad audien. de script. Rebuffus in praxi benefic. parte tertia, tit. de resignatione conditione, quam in fauorem vocant, & ceteri hoc est longe probabilius, & verius. Nam ut Glossa, & ceteri docent in capitulo, pactiones, & capitulo, cum pridem, de Patis, omnis conditio in spiritualibus Simoniam inducit, eo quod datum, & acceptum sub conditione, gratis non datur, & accipitur, item dabitari non potest, quin iure communi ordinarius loci eam resignationem admittere prohibeatur: sit enim cum conditione, quae in beneficiis, & rebus aliis spiritualibus communi iure damnatur. Quis item inficitur, hereditariae successione species, & imaginem in hac resignatione contineri? Si queras, An si huiusmodi resignatio fiat coram ordinario, & ille reiecta conditione tanquam contra Canones, beneficium conferat ei, cuius gratia est resignatum, valeat resignatio? Boerius tractat de dignit. Legati questione secunda, videret dicere valere: contrarium docet Rebuff. loco citato, num. 7. Quid si reiecta conditione resignationem admittat, & conferat cui voluerit? Staphileus, & Couar. aiunt, Ordinarium ea reiecta conditione resignationem admittere simpliciter posse, & beneficium cui voluerit conferre: & hoc est, quod ipsi dicere voluerunt. Sed oppositum videtur docere Rebuff. loco citato.

Tertio queritur, An qui praesente ordinario beneficium simpliciter, & absolute dimittit, mente tamen volens, & optans ut Titio verbi gratia conferatur, in Simoniae mente concepta crimen incurrit? Glossa in capitulo, ex parte, de offic. iud. deleg. & in capitulo, Ordinationes 1. quasi. 1. negat vllum esse Simoniae crimen, cuius etiam sententia fuit Nauar. Oppositum tamen sensit Panormitanus, Decius & alii in dicto cap. ex parte; mentis scilicet esse Simoniam, eo quod conditio sit in mentis actu, quamvis in verbis, nec expresse, nec tacite appareat. Sed quares, Titio, absolute, & simpliciter beneficium dimittenti apud ordinarium loci, licet statim ab ipso ordinario petere, ut Caio det beneficium dimissum? Respondet Gomezus in regula de triennali possess. questione 12. licitum esse petere post aliquod tempus inuicuum, non statim. In iudiciali foro nequit dubitari, eam resignationem condemnari, tanquam alterius causa factam, imo ipsi Romani Pontifices tales resignationes beneficiorum admittere consueverunt.

Quarto queritur, An si Titius apud Romanum Pontificem suum dimittat beneficium in gratiam Caui, suum ius in beneficio retineat, si beneficium non Caio, sed alteri conferatur? Respondeo, Romano Pontifice admittente resignationem cum clausula: *Resigno in fauorem Caui, &*

non ali-



non aliter, nec alio modo, nequaquam Titium amittere suum beneficium: quoniam Titius abdicat se beneficio ea conditione, ut Caio detur: ea igitur non impleta, beneficium penes Titium manet. Sicut cum beneficium iuripatronatus subiectum dimittitur, abique Patroni consensu dimissio non valet, & ius remanet penes dimittentem, eo quod tacite conditio subesse videatur, si Patronus consensum praestiterit. Ita cum quis beneficium cedit in alterius gratiam, & non alio modo, conditio adest expressim, ut resignatario conferatur. *Rebuff. loco citato, num. 4.*

Quinto quaeritur, An licita sit resignatio beneficii cum reservatione certae pensionis? Respondeo, reservationes pensionum vsu tantum, & iure nouo esse introductas: iure quidem communi concessum legimus, ut ex iusta causa pensio possit imponi ex redditibus beneficii soluenda, ut colligunt Auctores ex capitulo ad audientiam 2. de rescript. cap. Quamuis, de praben. in sexto, capitulum. Conquerente, de Cleric. non rescriptis. Sed praeter ius antiquum commune introductum est, ut dimittenti sponte beneficium, quod habet, pensio referetur. Deinde, ut beneficium cum vacat, vni conferatur, & alteri detur pensio ex illius beneficii fructibus soluenda. Nihilominus haec pensiones, cum in subsidium vitae, & gratia alimentorum concedantur, causam habent honestam.

Sexto quaeritur, Quibusnam de causis soleant modo pensiones concedi, cum beneficium dimittitur? Respondeo, eas causas ad duo capita reuocari, Aut enim concedantur ex causa quam vocant lucrativam, aut ex causa onerosa. Primo modo detur pensio, quando vacans beneficium vni conferatur, & alteri pensio datur, ut habeat inde vitae subsidium: atque haec pensio data, censetur causa paupertatis, & alimentorum. Deinde ex causa onerosa datur pensio, cum conceditur alicui, eo quod lite cesserit, seque in gratiam alterius, beneficio abdicauerit: illa enim pensio conceditur gratia concordiae, & pacis; haec vero, ne beneficium dimittens, magnum detrimentum patiat. Solet etiam pensio constitui, cum beneficium vnum cum alio permutatur: tunc enim si alterutrum eorum plures redditus habeat, compensatio fit auctoritate Roman. Pontificis reservata pensione. *cap. Quaestiones, de rerum permutat.*

Septimo quaeritur, An locorum ordinatis liceat beneficii resignationem admittere reservata pensione? Respondeo, minime: neque enim ordinarius loci potest beneficium pensionem imponere, cum sit iure communi sanctum, ut beneficia sine diminutione conferantur, *cap. 1. ut beneficia sine diminutione conferantur.*

Octavo quaeritur, Quibus beneficii pensio possit imponi? Respondeo in Concilio Trident. *sess. 24. cap. 13. de reformat.* sic esse statutum: *Ad hac in posterum, omnes ea Cathedralis Ecclesiae, quarum redditus summario ducatorum mille, & Parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum grauentur: ex quibus verbis constat huic decreto esse expresse derogandum, cum pensio aliter imponitur, iuxta ea, quae tradit Puteus *decis. 494. lib. 2.* In Concilio Lateranensi sub Leone X. statutum fuit, ne mensurae Episcopales onerarentur pensionibus, nisi ex causa resignationis, vel etiam alia, quae in Consistorio secreta licita, & probabilis esse videatur. Vnde Romanus Pontifex, quando imponit pensionem in Ecclesiis Cathedralibus per obitum vacantibus, solet expressim derogare Concilio Later.*

Nono quaeritur, An fieri debeat mentio primae pensionis in beneficio constitutae, cum in eodem imponitur secundae, etiam ex causa resignationis? Respondeo, debere: alioquin secunda pensio nullius est momenti. *Cassadorus decis. 4. de pensionibus. Gigos de pensionibus quasi. 29. Mandosius in Praxi de Signatario gratia, titulum. Pensiones.* Nam Romanus Pontifex Ecclesiae duplex onus imponere velle non creditur, *cap. Mandatum, & cap. Literis, de rescript. cap. duobus, eodem tit. in sexto.* sicut testatur non videtur dupliciter

velle haerem grauari, *l. Titio testamentum, §. Inuitam, de Legat. 2. l. uxorem, §. in testamento, de legat. 3.* Ac proinde si Roman. Pontifex id sciret, absque dubitatione, vel secundam pensionem non imponeret, vel difficilius id faceret, & subreptitia impetratio haberetur, cum aliquid taceretur, quod si diceretur, Roman. Pontifex pensionem denegaret, hoc enim literas, & rescripta Pontificia vitare solet, *cap. super literis, capit. in nostra, capit. Postulasti, de rescript.*

## C A P. XXII.

### Quomodo fieri resignatio debeat per procuratorem.

Primo quaeritur, An quis possit procuratorem constituere ad suum beneficium dimittendum? Constans est omnium opinio quam habet *Rebuff. in praxi benefic. part. 3. tit. de procurat. ad resign. consil. num. 1.* & *Bonifacius in Clem. 1. de renuntiat. & Hostien. in sum. tit. de renun. num. 7.* posse. Nam ex *l. Labeo, ff. de usucapionibus.* qui potest aliquid per se, id ipsum potest etiam per alium, nisi lege prohibeatur: Imo etiam infirmus quamvis morti vicinus, dum est mentis compos, potest per procuratorem suum beneficium deponere. *Paris. consil. 15. num. 9.* Episcopi etiam, & Cardinales possunt per procuratores sese officio, & dignitate abdicare. *Serenissimus Ferdinandus, Magnus Hetruriae Dux abdicauit se Cardinalatu per Procuratorem, ut ait Flamin. lib. 8. de resig. q. 4. & Gregorius XII. Pontificatum deposuit per Procuratorem, ut refert Platina in vita eius.*

Secundo quaeritur, An quis possit laicum in procuratorem eligere, per quem suo beneficio cedat? *Bonifacius Vitalinus in Clem. 1. num. 41. de renuntiat.* negat, quia quifque consensum praestare debet per Clericum in beneficium recipiendo. *c. accedens, de praben.* Deinde quia res spirituales, & Ecclesiastica negotia, & cause tractari & agi non possunt per laicos, *c. decernimus, de iudiciis, & cap. Cum olim, de arbitris.* Sed verius est, quod caeteri tradiderunt, licere cuique per procuratorem laicum ad id constitutum, suum beneficium dimittere *Glossa communis consensu recepta in Clem. 1. in verbo, Procuratorem, de renuntiat. Rebuff. loco citato, num. 17. Cardin. & Paulus in Clem. 1. de renuntiat.* nam laicus procurator non suo, sed nomine alterius beneficio cedit. Imo, ut docet *Calderinus consil. 1. de prab. & Ioan. Andreas in c. Accedens, eod. tit. & Decius in c. decernimus, de iudiciis,* potest quis beneficium sibi absenti collatum per procuratorem acceptum habere, praebendo consensum.

Tertio quaeritur, An monachus, siue alius quilibet religiosus possit procurator iure constitui, per quem aliquis suum beneficium deponat? *Cardinalis Zabarella, Paulum secutus in Clem. Religiosus, de procuratoribus,* affirmat ob eam causam, quod licet Monachus nequeat ad iudicia, & lites procurator eligi, tamen ad negotia, ac praesertim Ecclesiastica potest. Aliis tamen secus videtur, quos sequitur *Flaminus lib. 9. q. 4. de resig. & ante eum videtur sequutus Vitalin. in Clem. religiosus, in verbo, officium, nu. 3. de procuratorib. eo quod c. in Monachi. 2. 16. q. 1. constituitur, Monachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium Ecclesiasticum praesumant agere, prohibemus, nisi forte eum Abbatu imperio. Similiter ut nullus eorum, id est, Monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi quod monasterii expofcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. Nimirum Canones, & iura hoc merito vetere: aliter enim si fieret, à diuinis auocarentur Monachi, & vagandi huc, & illuc occasionem artiperent, teste *Archidiacon. in eod. c. Monachi.* Dicendum est posse monachum procuratorem constitui, si superioris consensus accesserit, *Glossa & alii, Clem. 1. de renun. Rebuff. loco citat. n. 17.**

Quarto quaeritur, An multi possint procuratores constitui? Respondeo, posse, ut *Glossam secuti Doctores testantur in Clem. 1. de renuntiat.* Porro possunt multi procuratores eligi, dupliciter: Aut enim datur singulis in solidum potestas, ut meo nomine quifque beneficio cedat, & tunc